

DE SVPINI IN INFINITIVO FVTVRI PASSIVI FORMIS

Infinituum futuri passiui supino primo et uerbi eundi infinitiuo praesentis passiui, uelut “datum iri”, generari (ut Cic. *Verr.* II, 2, 42: multo etiam rem turpiorem fore et iniquiorem uisum iri intellegebant) nemo est qui nesciat. multo pauciores sciunt pro forma supini primi in VM desinentis nonnumquam littera ultima detracta formam in V simplex induci, ita, ut supini potius secundi speciem praebeat. haec forma, quam Manuus Leumann in institutione sua grammatica¹ (pericopes 449 parte 4), Carolus Ernestus Georges in lexico suo² (uide sis in uoce “eo”) prorsus ignorant, minime tamen fugit cum Iosephum Tronskium Moysis f. nostratem, quamquam institutionis eius³ pericope ultima, i. e. 692, strictimque memorata (similiter *Thesauro linguae Latinae* et ap. Antonium Szantyr pericope 204 [p. 381]) tum sapientiam Petri Glare, qui hanc *Lexico Latino Oxoniensi* i. u. “eo 12 b” tractat. sed copiosissime hac de re Fredericus Neue et Carolus Wagener agunt libri sui⁴ tomo III, pericope 23 (p. uero 177).

Quae exempla cum pauca sunt, tum (quattuordecies, nisi me fallit) supplenda, quibusdam locis praeterea emendanda, nobis nimirum quibus machinae computatrices discusque opticus a Musei Paccardiani sociis confectus non contemnendam eloquentiae Latinae partem amplectens praesto sunt. itaque recensenda ea numerandaque statui, initio capto a parte numerosissima quae est in *Digestis Iustiniani Augusti* (ex codice Florentino editis), ubi duodetricies legitur:

debitu iri Lab. (2 post. a lau. epit.) *dig.* XXXII, 30, 5 (bis); Pomp. (3 ad Q. Muc.) *dig.* XXXV, 1, 1, 1; Scae. (1 quaest.) *dig.* XII, 1, 38; Vlp. (2 ad ed.) *dig.* XII, 1, 10;

¹ Lateinische Laut- und Formenlehre. Von M. Leumann (München 1977) (Lateinische Grammatik von Leumann – Hofmann – Szantyr I).

² K. E. Georges. *Ausführliches lateinisch-deutsches Handwörterbuch*. Aus den Quellen zusammengetragen und mit besonderer Bezugnahme auf Synonymik und Antiquitäten unter Berücksichtigung der besten Hülfsmittel ausgearbeitet von K. E. G. 8. verbesserte, vermehrte Auflage. Von Heinrich Georges. I–II (Hannover – Leipzig 1912–1918 [= Hannover 1976]).

³ И. М. Тронский. Историческая грамматика латинского языка (М. 1960. 2001) (editioni secundae additus est epilogus a v. cl. Nicolao Kazanskij Nicolai f. et huius commentationis auctore scriptus).

⁴ F. Neue. *Formenlehre der lateinischen Sprache*. 3. Aufl. von C. Wagener. I–IV (Leipzig 1902–1905; ed. anastat.: Hildesheim – Zürich – New York 1985) (3. Bd: Das Verbum). Vide etiam: Leopold, *Berliner phil. Wochenschrift* 25 (1905) 359.

defensu iri Pomp. (7 ex Plaut.) *dig.* XXXIV, 3, 4; Marcian. (6 inst.) *dig.* XXXIII, 8, 18; Vlp. (18 ad ed.) *dig.* IX, 4, 14 pr.; (2 fideic.) *dig.* XXXII, 11, 21; (19 ad Sab.) *dig.* XXXIII, 4, 1, 9 (bis); (19 ad Sab.) *dig.* XXXIII, 4, 1, 10; Paul. (60 ad ed.) *dig.* XVII, 2, 28;
 datu iri Pomp. (6 ad Sab.) *dig.* XXXIII, 5, 8 pr.; Vlp. (49 ad Sab.) *dig.* XLV, 1, 38, 21;
 immutatu iri Cels. (5 dig.) *dig.* VIII, 6, 6, 1 d;
 perceptu iri Vlp. (79 ad ed.) *dig.* VII, 9, 1, 3;
 praestitu iri Iau. (2 ex Plaut.) *dig.* XVIII, 4, 10;
 praestatu iri Pomp. (31 ad Q. Muc.) *dig.* XVIII, 1, 66 pr.;
 redditu iri Proc. (8 epist.) *dig.* XXXI, 48, 1; Iul. (40 dig.) *dig.* XXXVI, 1, 28, 16; Gai. (18 ad ed. prouinc.) *dig.* XXXV, 2, 73, 2;
 restitutu iri Iul. (13 dig.) *dig.* XIX 1, 23; Maec. (10 fideic.) *dig.* XXXV, 3, 8; Vlp. (79 ad ed.) *dig.* VII, 9, 1, 7 (bis);
 statu iri Vlp. (6 fideic.) *dig.* XXXVI, 3, 6, I (repromissio plane exigenda est uoluntati defuncti statu iri);
 traditu iri Iul. (42 dig.) *dig.* XL, 5, 47, 3.

Scribendi rationem, qua diuise scribuntur, retinui, Petrum Glare et *The-saurum linguae Latinae* secutus, ex editione nunc grauissima a Theodoro Mommseno, uiro clarissimo, facta⁵ (eadem quidem, sed a. 1922 ibidem repetita, Petrus Glare usus est), quae editio ab alia eiusdem uiri editione pendere uidetur;⁶ cum apud Neue et Wagener tum apud Tronskium et Antonium Szantyr haec omnia uno uocabulo scribuntur (itaque ex aetatis recentioris quadam alia editione eaque, ut puto, Kriegeliorum fratrum desumpta).

Quorum iuris consultorum si aetas respicienda, antiquissimus est Proculus, qui uixit saeculi I post Chr. n. parte dimidia prima, quem sequitur C. (aut L.) Octavius Iauolenus Priscus Tidius Tossianus, qui natus est ante a. 60 post Chr. n., post a. 120 mortuus: nam M. Antistii Labeonis (qui a. 10 aut 11 p. Chr. n. mortem obiit) libri posteriores tantum modo ex epitome ab eodem Iauoleno facta laudantur; nouissimi Domitius Vlpianus et Iulius Paulus uidentur (quibus fortasse Aelius Marciarus addendus) saeculi tertii ineuntis. sed ne quis putet, tantum modo huius generis formas *Digestis Iustiniani Augusti* legi, subiungendum censui eorum locorum indicem quibus ab iisdem uerbis alio et quidem solito modo infinitiui futuri passiui formantur:

debitum iri Pomp. (6 ad Sab.) *dig.* XXXVI, 2, 13.; Paul. (2 ad Vitell.) *dig.* XXXVI, 2, 21, 1;

⁵ *Corpus iuris civilis I. Institutiones*. Rec. P. Krueger. *Digesta*. Rec. Th. Mommsen (Berlin 1905).

⁶ *Digesta Iustiniani Augusti*. Rec. Th. Mommsen. I-II (Berlin 1870).

defensum iri Vlp. (15 ad ed.) *dig.* V, 3, 31 pr. (et ideo Iulianus libro sexto *Digestorum* scribit ita id imputaturum possessorem, si cauerit se peti-
torem defensum iri); (19 ad ed.) *dig.* X, 2, 20, 2; (4 fideic.) *dig.* XXXVI, 1,
17, 3;

praestatum iri Vlp. (32 ad ed.) *dig.* XIX, 1, 11, 18; Paul. (36 ad ed.) *dig.*
XXIV, 3, 25, 4 (Sabinus ait non alias fundum mulieri reddi oportere, quam
si cauerit, si quid praeter unius anni locationem maritus damnatus sit, id se
praestatum iri);

restitutum iri Pomp. (5 ex Plaut.) *dig.* XL, 4, 40, 1; Iul. (35 *dig.*) *dig.* VII,
5, 6 pr.; Vlp. (2 disp.) *dig.* XII, 4, 5, 2; Paul. (4 quaest.) *dig.* XV, I, 52, 1;
traditum iri Paul. (17 ad Plaut.) *dig.* VI, 1, 47.

Vt ex indice patet, cum eosdem scriptores tum eosdem *Digestorum* lib-
ros reperimus, itaque neque in singulorum scriptorum sermonis indole
neque in diuersorum *Digestorum* librorum editorum, uelut Tribonianii, ar-
bitrio et uarietate rem esse uidemus. notatu digna uidentur tamen uerborum
frequentissimorum infinitiuos “datum iri” (atque “redditum iri”) et “statum
iri” tantum sine M extremo inueniri (quod ad “immutatum iri” et “percep-
tum iri”, casu hoc fieri posse putamus), duarum uero formarum quae a praet-
standi uerbo leguntur in ea forma, quae a supini forma antiquiore, utpote
apophoniae ope ficta, ducta est (id est “praestitum iri”), quoque M extre-
num ubique omitti.

Post *Digesta* secundas merito L. Caelius Firmianus Lactantius habebit,
ex cuius *Diuinis institutionibus* doctissimus Brandt (a Neue et Wagener
p. 177 laudatus)⁷ haec octo excerptis:

- dissolutuiri *inst.* VII, 12, 29;
- datuiri *inst.* IV, 17, 3;
- generatuiri *inst.* IV, 13, 18;
- missuiri *inst.* VII, 18, 3;
- nominatuiri *inst.* I, 6, 13;
- oppressuiri *inst.* III, 1, 5;
- perfectuiri *inst.* III, 28, 21;
- sublatuiri *inst.* VII, 15, 19.

Praeterea semel ap. Ciceronem (reddituiri *Att.* V, 15, 3)⁸ semelque *Bello*
*Alexandrino*⁹ (sublatuiri 19, 2) tales formae codicibus leguntur, quae tamen,

⁷ S. Brandt, *Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik* (Lipsiae) II, 349–354;
III, 457.

⁸ J. G. Schmalz, “Der Infinitiv fut. pass. auf -uiri auch bei Cicero”, *Neue Jahrb. f. class.*
Philologie 145 (1892) 79–80.

⁹ G. Landgraf. Zum Bellum Alexandrinum, in: *Commentationes Woelflinianae* (Leipzig
1891) 21.

Neue et Wagener iudicibus (p. 177), a librariis perperam inlatae, neque saeculis V aut VI prius, irrepsisse uidentur.

Quintilianus uero (quod Neue et Wagener fugit) semel tantum infinitium futuri passiui usurpat, et quidem, ut uidetur, alium quendam laudans, hoc modo (*Inst.* IX, 2, 88, ed. Lud. Radermacher. Addenda et corrigenda collegit et adiecit Vinc. Buchheit [Lipsiae MCMLIX]):

non tamen nego, esse controuersias huius modi figuratas, ut est illa: ‘reus parricidii, quod fratrem occidisset, damnatu (damnatum **P**) iri uidebatur: pater pro testimonio dixit, eum se iubente fecisse: absolutum abdicat.’

Denique T. Liuui periocharum (22) codicibus haec forma reperitur, sed ab editoribus tollitur:

effecit...ut omnes non relictu<m> iri.

His legendis quaestiones necessario exsistunt: primo, quo modo talia pronuntianda: uno uocabulo an diuisie? sin autem diuisie, estne ultima littera breuis an longa? praeterea: quae ratio inter formas M extremo praeditas easque M littera carentes intercedit? ad quae respondenda multum poetis et inscriptionibus adiuuaremur, nisi infinitium futuri passiui cum hae tum illi odissent. infinitius futuri passiui non saepe omnino apud scriptores legitur, quod iam *Thesauri linguae Latinae* editores bene perspexerunt, qui (i. u. eō II A 1 h tomi V 2 p. 648, uersu 77) ita dicunt: “saepe apud ICtos; in sermone communi et poetico (praeter scaenicos) quasi uitatur”. ut exempla afferam, C. Iulius Caesar quinquies tantum eo uititur:

b. G. V, 36, 2: ipsi... nihil nocitum iri;¹⁰ VII, 11, 4: cum longius eam rem ductum iri existimarent; VII, 66, 5: si pedites... relictis impedimentis suae saluti consulant, et usu rerum necessiarum et dignitate spoliatum iri.

c. I, 71, 4: quodsi iniquitatem loci timeret, datum iri tamen aliquo loco pugnandi facultatem; III, 42, 3: Caesar longius bellum ductum iri existimans eqs.; cf. etiam Meusel ad b. G. IV, 32, 1;

Tacitus bis atque *Annalibus* tantum (*Ann.* XI, 27: haud sum ignarus fabulosum uisum iri eqs.; XIV, 20: iustitiam auctum iri);

Maurus Seruius Honoratus grammaticus ter in Vergilii *Aeneidos* libros I, 19: duci] ductum iri (infinitui modi a passiuo tempus praesens pro futuro posuit, uerbum pro uerbo, ut supra ostensum est); II, 702: a quo certum erat Romanam prolem propagatum iri; X, 627: mutariue] deest ‘posse’ (an mutatum iri?);

¹⁰ Vid. Meusel ad loc.: *C. Julii Caesaris Commentarii de bello Gallico*. Erklärt von Fr. Kraner und W. Dittenberger. 17.. vollständig überarb. Aufl. von H. Meusel II (Berlin 1920) 83.

Quod ad poetas, primus, quod scimus, poeta Romanus qui infinitium futuri passiui uersibus suis posuit Plautus fuit (*Cas.* 699: datum iri; *Curc.* 491: redditum iri), nouissimus P. Terentius Afer (*And.* 177: datum iri; *Eun.* 139: iri praepositum; *Ad.* 70: rescitum iri);

Nouissimumque scilicet exemplum est *Hecyrae* prologi illud (Ter. *Hec.* 40):

quom intereá rumór uenít
Datum iri gládiatóres, pópulu' cónuolát.

Itaque aliae huius quaestionis inuestigandae uiae temptandae sunt. quarum efficacissima uidetur uia analogiae. nam alia quoque nota sunt uocabula et formae ubi pro VM litteris V simplex uideamus, uelut uerbo composite “circueō” (unde “circutiō circuitus circitor”) pro “circumeō” iam a Cicerone (*Caec.* 94: cum circuiret praedia) et Caesare (*b. G.* V, 2, 2: circuitis omnibus hibernis), tum uerbo “nuptuire” (ex “nuptum ire”), quod (quamquam ab aliis “nupturire” legitur) in *Martialis III*, 93, 18 codd. Thuaneo et Voss. A inuenitur, Puteano et Voss. B C “numtuire” exhibentibus; uide Guillelmum Heraeum ad loc.; “ustuire” (ex “ustum ire”): Prud. *peristeph.* X, 885, uide Obbarium ad loc.; “ereptuire” Pomp. Porphy. ad Hor. *epod.* 16, 5 (ex “ereptum ire”, quod apud Ammian. Marcell. XIX, 3, 3 inuenitur), “ultuire” (ex “ultum ire”) Alcuin. Auit. episcopus et al.; “mictuire” Chiron 514. his exemplis docemur M extrellum nonnumquam loquendo elisum esse (aliter tamen atque apud poetas), praesertim cum duo uocabula artius inter sese sint coniuncta. cum de huius rei aetate non multo plura dicere possumus quam Antonius Szantyr, qui formam in V nouiorem esse, VM antiquiorem aiebat (pericope 204, p. 381), de pronuntiatu liquet tamen haec omnia uno uocabulo proferenda (et scribenda) esse, quod iam Glare optime perspexit,¹¹ V sine dubio breue esse. falsam uero scribendi rationem ex exemplis uelut “cubitu surgere” (Cato *Agr.* 5, 5), “obsonatu redire” (Plaut. *Men.* 277; 288; *Cas.* 719), “uenatu redeo” (Stat. *Ach.* I 119) natam esse.

Alexius Scatebranus Rutenus (qui et Solopov)
ex Academia Moscouensi Elisabethana Lomonosouiana

В статье рассматривается латинский *infinitivus futuri passivi* на *-iri*. Эта форма, существующая с гораздо более частотной нормативной формой на *-im* *iri* (типа *uisum iri*), весьма редко анализируется в научной литературе, а неко-

¹¹ Petrus Glare loco supra laudato: “*s(ome)t(ime)s app(arently) w(ith) sup. in -u through elision in pronunciation of the final consonant*”.

торыми авторитетными учеными просто игнорируется. Тем не менее, как показывает собранный в статье материал, форма на *-uirī* засвидетельствована вполне достоверно, а в некоторых произведениях, например, в “Божественных установлениях” Лактанция и в “Дигестах” имп. Юстиниана, может считаться частой грамматической формой. Помимо того, в статье суммируются скучные сведения о времени появления этой формы и делается вывод о том, что она представляет собой несомненную конкурирующую инновацию на фоне стандартной формы. На основании сравнения с фонетическим развитием глаголов и глагольных форм типа *circuire*, *nuptuire*, *ustuire*, *eruptuire*, *ultuire*, *mictuire* делается вывод о чисто фонетических причинах появления дублетного инфинитива на *-uirī* вследствие элизии конечного согласного в относительно частотных синтагмах, для произнесения которых характерен темп “аллегро” (примечательно, что при этом элизия происходит иначе, чем при скандировании стихов). Рассматриваются особенности произношения форм на *-uirī* и причины возникновения нескольких вариантов написания.